Herrn Prof. Dr. Dittenberger

in dankbarer Verehrung

der Verf.

# DE
# M. ANNAEI LUCANI
# COMPARATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

GUSTAVUS HUNDT
COTHENIENSIS.

COTHENIS ANHALTINORUM
FORMIS DESCRIPSIT P. SCHETTLER.
MDCCCLXXXVI.

Comparationes praeter cetera ornamenta elocutionis poeticae iam Homerus amore amplexus est in iisque perpoliendis magnum studium consumpsit. Quo in figurarum genere etsi posteriorum temporum poetae Homeri vestigia presserunt, tamen natura comparationum commutata est. Nam cum comparationes Homericae imprimis perspicuitati inserviant,*) poetae epici Alexandrini his figuris utuntur, ut doctrinam studiaque remotiora ostentent. Medium iter Vergilius aliique poetae epici Romani tenuerunt ita, ut et comparandi rationem ab Homero praescriptam sequerentur et commoti studio similitudines apud priores poetas inventas variandi saepius ad magis abditas obscurasque confugerent.

De Vergilii, Valerii Flacci, Silii Italici, Statii in comparationibus adhibendis usu accuratius disputatum est.**) De M. Annaei Lucani comparationibus disserere operae pretium esse putavi. Nam ut cognoscamus, quomodo primo post Christum saeculo haec carminum ornamenta epici poetae Romani, quorum opera nobis servata sunt, adhibuerint, restat, ut in Lucani usum inquiramus, quia nisi singulorum

---

*) Schellert de Apolonii Rhodii comparationibus, Halis Saxonum 1885, p. 3 indici virorum doctorum, qui Homeri comparationibus studium navaverunt, ab Hübnero (Grundriss zu Vorlesungen über griech. Syntax, Berlin 1883, p. 100) enumeratorum adiecit et qui in hoc numero desunt et qui novissimis temporibus commentationes scripserunt; p. 5 quem ad finem tendant comparationes Homericae accuratius disseruit.

**) Jeep de forma comparationum apud Vergilium grammatica, Holzminden 1826 Eppelin über die Vergleichungen bei Vergil, Lahr 1862 Hornbostel, die Gleichnisse bei Vergil, Ratzeburg 1870. Bussenius de Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu, Lübeck 1872. Barchfeld, de comparationum usu apud Silium Italicum. Göttingen 1880. Krause, de P. Papinii Statii comparationibus epicis, Halle 1871.

poetarum usu accurate perspecto quasi historia comparationis conscribi non potest. Quod non satis reputavisse videtur Bussenius, qui quamquam Lucanum quoque respexit, quin etiam certos sua quidem sententia numeros et locos affert, tamen saepius parum considerate iudicium de Lucani usu comparandi tulit. Neminem autem adhuc accuratius quomodo Lucanus comparationes usurparet, investigasse mirum non videbitur, si consideraveris hunc poetam propter verborum tumorem orationemque inflatam hodie fere neglegi. Plurimos autem, ne Lucano maiorem operam dent, deterreri puto eo, quod Pharsaliae editio critica adhuc non prodiit. Desideratur igitur textus fide codicum manuscriptorum stabilitus, quo omnis quaestio subtilior nitatur. Ad quam difficultatem expediendam Steinhartus (de emendatione Lucani, Bonn. 1854) viam munivit. Oudendorpii enim collationes duorum codicum Vossianorum (A, B), quos optimas lectiones exhibere Steinhartus satis probat, nonnullis locis correctas profert simulque adicit, utra praeferenda sit. In parvo numero versuum servatorum in schedis Vindobonensibus, Neapolitanis, Romanis saeculi IV., quos Detlefsen (Phil. 13. 15. 26.) edidit, continetur comparatio nulla, quare hac in quaestione non respiciuntur. Quod attinet ad lectiones codicis Montepessulani sive Buheriani, quem maximi in Lucani de bello civili libris emendandis momenti futurum esse Steinhartus (Symb. philol. Bonn. p. 289) iudicat, praeter nonnullos locos a Steinharto leviter tactos in eiusdem Oudendorpii collationibus acquiescendum est. Deinde ut omittam in versibus trium codicum saeculi XI. et XII., quos J. Klein Rh. M. 24 p. 121 affert, inveniri comparationem nullam, et hi codices et quidam Berolinensis saec. XIII. (J. Bekker, Monatsberichte der Berliner Akademie 1853 p. 166.) minoris momenti sunt, quam Vossiani duo, quos plerumque ad locos a nobis accuratius tractatos sanandos satis utilem materiam praebuisse infra elucebit. Quare Steinharti inter traditas lectiones diiudicandi rationem secutus ad Pharsaliae textum constituendum aliquid conferre posse mihi videor. Praeterea saepenumero C. F. Weberus in editionis (Lips. 1821, quam

in locis afferendis secutus sum) adnotationibus vel Bentleii vel Ezrae Clercquii van Jever Batavi vel suas ipsius sententias profert, quibus minime assentiri possumus.

Sed iam ad propositam quaestionem accedamus. Lucani in comparationibus adhibendis usum proferamus ita, ut clarius eluceat, utrum discedat hic a ceteris, imprimis a Vergilio et Valerio Flacco, necne. Ac primum quidem dicemus de numero et materiis comparationum, deinde de ratione grammatica, tum inquiremus, quos poetas Lucanus imitetur.

## Caput I.

Bussenio cum dicit p. 2. Lucanum exspectatione rarius comparationibus uti, „habet enim in 8060 versibus 52," fides omnino deneganda est. Nam ut omittam Bussenium ipsum in adnotatione 53 locos afferre, re vera in Lucani Pharsalia 119 comparationes inveniuntur. Quae discrepantia numeri inde facile explicatur, quod ille eas solum comparationes respicit, quae in morem Homericarum perfectam absolutamque imaginem praebent; nam omnes fere illas comparationes, quae luxuria rhetorica obfucatae vel varia ratione grammatica inductae ab hoc poeta adhibentur, neglexisse videtur. Quid autem adeo circumcisa quaestio conferat ad poetae ingenium dicendique genus cognoscendum non intellego. Saepius quidem difficile est ad iudicandum, num notio comparationis suo iure quibusdam Lucani sententiis subici possit. Luculenter in comparationibus apparet Lucani genus dicendi rhetoricum; interdum in dumeta correpit nimisque machina ut ita dicam comparandi utitur velut legitur I 1:

„Bella per Emathios plus quam civilia campos cet. canimus" vel VII 426:

„Sed retro tua fato tulit par omnibus annis
Emathiae funesta dies" vel VIII 747 Pompeii umbrae cum Pompeio integro conferuntur.

Bene quadrat haec comparationum multitudo (119) ad Lucani naturam. Tollitur igitur error Bussenii, qui dicit p. 2: „Contra miretur quispiam, quod Lucanus, qui fervidus

semper est et incitatus, comparationibus rarius utatur quam exspectamus . . . cuius rei causam deprehendisse mihi videor in eo positam, quod carminis maior pars versatur in orationibus hominum vehementer commotorum . . . nam non convenit naturae eos ipsos, qui ira incensi sunt aut gaudio exsultant, comparationibus utentes facere." Neque accurata observatione haec causa, etsi in universum nobis placet, apud hunc poetam firmatur, quod in ipsis orationibus inveniuntur 18 comparationes.

Quod attinet ad comparationum copiam Lucanus Vergilium superat, Valerius Flaccus Lucano propius accedit.

In singulos libros distribuitur comparationum summa hoc modo. Continet liber I. 27, II. 15, III. 11, IIII. 12, V. 9, VI. 12, VII. 5, VIII. 7, VIIII. 12, X. 9. Dubito, num ex hoc comparationum in singulos carminis libros dispertitarum indice elicere possimus, quanta quemque librum diligentia Lucanus persecutus sit. Hoc elucet e prioribus tribus libris, quos a poeta ipso editos esse verisimile est (Genthe de Lucani vita et scriptis, Berolini 1859 p. 75), primum his orationis poeticae ornamentis praeter ceteros florere. Vix autem in reliquis certum poetae consilium cognoscitur, praesertim si in animum revocamus Lucanum praematura morte a carmine perficiendo impeditum esse; ut ingenium ferebat, narrationi haec ornamenta inseruisse videtur.

Comparationum pleraeque quattuor versuum numerum, quem Bussenius legitimum observavit, non excedunt; aliquantulo autem I 514 II 715 IX 902 hanc mensuram egrediuntur; quinque versibus efficiuntur I 498. II 672; sex II 454, 601. IV 237, 724. V 436, 711. VI 208, 272. VII 144; septem I 136, 151, 205. II 21. IV 285, 549; octo IV 437, IX 285; novem I 72. Apparet iure meritoque neglegentiam Bussenio opprobrio dari, quod quattuor pleniores subtiliusque exornatas imagines praeteriit. Hisce comparationibus legentium animos a carminis capite nimis deflecti, esti nonnullae venustate quadam ac simplicitate florent, negari nequit. Vergilii autem exemplum, apud quem inter 105 comparationes 42 exstant amplius elaboratae,

modice ac sapienter Lucanus secutus est, nisi vituperas I 72, 155. VII 144. Valerius Flaccus cautius hanc legem observavit, ne comparationibus nimis amplificatis obscuretur id ipsum, quod eis illustrari vult (cfr. Bussenius p. 4).

Iam si quaerimus, unde petiverit Lucanus comparationum materias, hi sunt fontes: natura et inanima et animata, hominum mores et consuetudines, res mythologicae et historicae. Ex eisdem fere iam Homerus et Vergilius hauserunt, novum sibi aperuit Lucanus res historicas. Nec mirum! Nam ut argumentum historicum ad carmen pangendum sibi elegit diisque nullam fere vim auctoritatemque in hominum fatis regendis permittit, ita in comparationum quoque materia praecipuo studîo rerum gestarum memoriam persecutus, saepissime ab hominibus praeclare factorum laude insignibus comparationes repetiit; obiter Silius Italicus, qui ipse quoque carmen historicum fecit, X 321 hoc genus tangit (cfr. Barchfeld p. 8); ceteri vero poetae natura argumenti coacti hoc totum genus repudiaverunt. Cum hae comparationes proxime accedant ad ea orationis ornamenta, quae exempla vocantur, facere non possum, quin quomodo haec ab illis differant, paucis exponam. Remaclyo enim (de comparationibus Homericis disputatio part. II. Marcoduri 1843 p. 20) assentiri non possum, cum dicit: „nullum aliud discrimen inter exemplum et comparationem relinquitur, nisi quod in exemplo vel cum re, de qua agitur, alia similis dissimilive certo loco et tempore ac plerumque a certo auctore facta confertur vel cum persona, de qua sermo est, alia certa et nota contenditur; cum ad comparationes, quas proprie sic appellamus, id quod saepe aut semper fieri aut esse solet, adhibeatur." Contra A. Gerber (die Sprache als Kunst p. 44) presse subtiliterque exemplum his verbis definit: „Das Beispiel giebt neben oder an Stelle einer Gedankenentfaltung einzelne deren Inhalt charakterisierende Momente, welche diesem selber entnommen sind; id igitur quod in universum valet illustratur singulis certisque rebus commemorandis, cum in comparationibus certae res conferuntur cum aliis certis rebus similibus dissimilibusve. Speciem quidem merarum comparationum his figuris obscurari constat, sed monenda

sunt, quae Hornbostel p. 7 in universum de hominibus in comparationibus adhibitis docet: „Zwar ist das Menschenleben ja selbst schon Objekt der epischen Dichtung und gehören mithin die Subjekte der Haupthandlung derselben Gattung an, wie die menschlichen Subjekte der Gleichnisse, aber es ist auch gar nicht nötig, daß beide verschiedenen Gattungen angehören, wenn sie nur in verschiedenen Situationen dargestellt werden."

Sed iam ad singulos locos veniamus! Quod ad naturam inanimam attinet, describitur fulmen I 151 V 405 X 500; sidera II 267, III 41 IV 500 VIII 487; aqua IX 797; maria II 454 III 549 V 217. 336. 436. VI 265 X 216; palus V 435; venti I 388. III 362; ignis, fumus III 362. IX 461; imber, grando, nix II 501 III 284 IX 781; rupes, montes III 380, 470; pulvis III 787; cera IX 781; rura et aequora I 259, V 443; certa loca I 100. 640. III 66 V 99 VI 90. 648. X 474. Omnibus his comparationibus depinguntur ea, quae hominibus notissima sunt vel saepissime eveniunt in rerum natura; bis poeta comparationis argumentum sibi finxit mundi ruinam I 72 VII 134. Res in hominum usum praeparatas exhibet Lucanus conferendi causa I 229 III 186. 716 fundam, sagittam, tela, IX 797 vela.

Rarius inveniuntur animalia; sic bestiae IV 237. 313. 724. VIII 398. 599. X 445; leo I 205; tigris I 327 V 405; pardus VI 182; ursa VI 220; elephas VI 208; ichneumon IV 724. E domesticis animalibus taurum II 601, equum I 293, ex avibus aquilam IX 902, grues V 711 in imaginibus adhibet. Singulas comparationes ab apibus IX 285 et serpentibus IX 713 sumpsit; herbae inveniuntur VI 685, IX 893, ex arboribus quercus I 130; croci sucum arenam aspergentem inducit poeta IX 808.

Ex hominibus, quorum mores et consuetudines depingit Lucanus, inveniuntur in comparationibus populi externi velut Sarmatae I 430, Edonides I 674, Medi IV 680, Venetus, Britannus, Siculus, Apulus IV 134. VI 65. 293. IX 182; vel in universum certi hominum ordines ante oculos ponuntur velut miles Romanus I 514, cohortes I 578, gladiatores IV 708, agmen terrestre V 707, milites classicum canentes VI

165, orator funebris IX 215, homo pecuniae avidus III 118, auri scrutator IV 297, venator IV 437, homo saucius IV 285, mulier et puer X 458, auriga VIII 199, nauta I 498 VI 286 VII 125. Bis vita domestica describitur II 21. 297 mater et pater filium mortuum dolentes. His adiciamus V 739 vita, VIII 406 hominum eruditorum iudicium, IX 632 coma feminea.

A rebus mythologicis fabulisque heroicis Homerus rarius comparationes sumpsit, increbruit hic mos apud Vergilium; apud Lucanum exstant in comparationibus summum numen I 199, dei, Jupiter I 34, VIII 872, Diana I 446, Bellona, Mars VII 567, Oedipodionidae I 552, Agaue, Lycurgus, Hercules I 574, Diomedes, Antaeus, Oenomaus II 162, Sparti IV 549, Hercules VIII 800, Sibylla Cumana V 183, Typhon VI 90, Gigantes VII 144, Orestes, Pentheus, Agaue VII 777, Helena X 60, Medea X 464, Argo navis II 715, Mycenae Thyesteae I 543; cum deorum templo propter magnificentiam apparatumque comparat Cleopatrae domum regiam X 111. Hae fabulae paulatim in poetarum supellectilem ut ita dicam receptae sunt neque „epicos Romanos ab hoc genere abstinere erat necesse, cum non multitudini scriberent sed eruditis offerrent carmina, quos rerum mythologicarum peritos esse haud ignoraverunt“ (Barchfeld p. 7.) E personis historicis inveniuntur Pyrrhus, Hannibal I 30. 303; Sabinae I 118; Catilina, Lentulus, Cethegus; Lepidus, Carbo, Sertorius; Spartacus II 541. 546. 554; Sulla, Marius, Cinna, domus Caesarea I 326. II 582 IV 821, Cyrus, Xerxes II 672 III 284; Antonius X 70.

Perlustrantibus nobis haec comparationum argumenta, ut eruamus nonnulla ad poetae vitam studiaque cognoscenda, caute iudicandum est. Neque enim poetae ingenium libere vinculisque solutum suam ingreditur viam, sed priorum poetarum exemplum in adhibendis his orationis ornamentis sequitur. (Accuratius de hac re p. 40 sq.) Tamen hoc ex eius comparationibus effici putem: Lucanum in universum magis litterarum studiis se tradidisse, quam naturae. Nam ut omittam parvum numerum earum comparationum, quas a natura petivit, pleraeque iam apud Homerum et Vergilium

reperiuntur nullaque demonstratur Lucanum naturae contemplandae acriusstuduisse. Denique studiis domesticis omnes fere, quas adhibuit, comparationes debet Lucanus; omnia quae de consuetudine bestiarum vel moribus externorum populorum in comparationibus profert, litterarum studiis assecutus videtur esse. Huc accedit magnus numerus comparationum, quas e carminibus fabulosis et ex historia duxit.

Sed ut cognoscamus, quam artem Lucanus his figuris praestet, accuratius singulas comparationes in ordinem digeramus, quod non omnes eandem naturam prae se ferunt. In universum discrimen observandum est quod intercedit inter comparationes fusius exornatas ita, ut perfecta imago existat, et comparationes nihil praebentes nisi notionem aliquam, quae nullo ornatu addito apponitur rei comparandae. Merarum autem similitudinum speciem exhibent eae, in quibus notiones diversae ab iis notionibus, quae comparationibus illuminantur, materiam similitudinis copiosius elaboratae praebent velut I 100 Crassus confertur cum Isthmo, I 136 Pompeius cum quercu, I 151 Caesar cum fulmine vel VI 265 cum mari, VI 181 Scaeva cum pardo vel 208 cum elephante, IX 285 puppes cum apibus, IX 780 corpus humanum cum nive vel cera vel 798 cum aqua cocta vel velis, IX 902 Psylli cum aquilis. Praeterea huc pertinent I 72. 229. 259. 293. 388. 498. II 21. 267. 297. 454. 601. III 41. 118. 362. 482. 538. IV 237. 437. 708. 724. V 99. 217. 336. 711. VI 165. 220. 272. 286. VII 125. VIII 398. 487. IX 808. X 445; tantum similitudinis notio minime exornata invenitur II 501. III 716. IV 313. V 405. 739. VI 685. VIII 599. IX 632. 895. X 111. 458.

Deinde exstant eae similitudines, in quibus notio aliqua comparatur cum notione eiusdem generis, quae clarior et perlucidior legentibus rem comparandam ante oculos ponit velut II 665 pontus saxa devorans cum mari Aegaeo, in quod demerguntur Eryx et Gaurus, vel II 715 Pompeii classis cum Argo nave, IX 477 arma caelo delapsa cum Numae ancilibus et I 514. 640. 674. III 66. 470. 549. IV 134. 285. V 183. 435. VI 65. 293. 648. VII 134. VIII 199. IX 182. 215. X 216. 474. 502. Fusius explicare omisit Lucanus

has similitudines I 430. 578. III 186. 380. IV 680. 767. V 707. IX 713.

Minus placent e comparationibus, ut ita dicam mythologicis (I 33. 446. 543. 552. 574. II 162. 715. IV 549. VII 567. 777. VIII 406. 800. X 60. 464.) eae, quae a remotioribus fabulis petuntur velut VI 90. VII 144. VIII 872; quales comparationes iam Vergilius usurpat; saepius autem Valerius Flaccus fabulas quas studio et doctrina assecutus est, in medium effundit. (Bussenius p. 8.)

Comparationes a personis et rebus historicis petitas velut I 30. 118. 303. 326. II 541. 546. 554. 582. 672. III 284. IV 821. X 70 et ab Homeri ac Vergilii consuetudine abhorrere et a posterioribus praeter Silium Italicum reici iam supra diximus.

Modo mensuraeque locorum exprimendis inserviunt hae similitudines III 41. 538. IV 297. IX 461; minus artificiose excultae sunt eae comparationes, in quibus poeta certa loca ad spatium certum designandum profert velut II 710. V 638. VI. 48. 55. 73. IX 414. 957.

Adiciamus nonnullas comparationes in quibus Lucanus legentium animos non ad notiones diversas ab eis quas illustrare vult, avertit sed alicuius hominis vel rei statum confert cum alio eiusdem hominis vel rei statu velut II 336. 726. III 512. IV 255. 634. V 27. 678. 802. VII 39. 691. VIII 747. IX 263. X 437; fingitur a poeta status certus, quocum statum certum carmine narratum confert, his locis: I 251. 493. II 289. 496. VI 108. 503. VIII 42. 147, quarum in magna parte comparationis notio primo aspectu latet et ex sententiarum nexu eruenda est; quod autem nimis recedunt ab usitata comparandi ratione et pleraeque omni fere arte carere videntur, minus ad hanc quaestionem pertinent.

Cum omnino poetae comparationibus id agant, ut legentium animi in iis ipsis, quibuscumque comparatio aliqua adicitur, diligentius contemplandis occupentur, mirum non est eos, qui in carminibus epicis primas agunt partes, imaginibus efferri. Quam rationem Lucanus quoque sequitur, quare plurimae comparationes attribuuntur Pompeio (I 129.

327. II 582. 601. VI 65. 265. 272. VIII 269 cet.) et Caesari (I 151. 205. 229. 293. III 362. V 336. 405. X 445 cet.) eorumque militibus. Sed ut poetae ingenium et occasio ferebat, alii quoque, simodo vel propter morum praestantiam et virtutem vel propter fata et consuetudines inusitatas qui magis respiciantur, digni habentur, hoc ornatu afficiuntur velut Cato II 297. IX 215, Crassus I 100, Octavius IV 437, Septimius VII 599, Saburra IV 724, Scaeva VI 181. 208. 220, Cleopatra X 60, Psylli IX 902, gubernator VIII 199. Si hanc rem spectas, Lucani Pharsalia, quod alii viri aliis locis primas tenent, prope accedit ad Iliadem. Etiam rebus Lucanus assignat comparationes velut II 501 tela cum nimbo, II 715 classis Pompeii cum Argo, IX 283 naves cum apibus, IX 460 pulvis cum fumo comparantur. Quam licentiam iam Vergilius sibi assumpsit, Valerius Flaccus praeter cetera principes carminis, Jasonem et Medeam, similitudinibus ornavit. Semel apud Lucanum VIII 487 res cogitationi tantum subiectae non sensui illuminantur rebus visu manifestis.

Videamus nunc quid comparationibus significetur. Tertium quod vocatur comparationis aut a poeta claris verbis indicatur velut I 228, aut e sententiarum nexu eliciendum est velut I 205. Bussenius cum dicit p. 14 „utitur Valerius Flaccus, ut animi motus illustret, comparationibus undevicies, ad quem numerum ex veteribus poetis nemo ne procul quidem accedit“ et p. 13 „quater tale quid apud Lucanum inveniri,“ parum diligenter hanc quaestionem perscrutatus est. Aliquanto pluribus comparationibus a Lucano animi affectus motusque describuntur velut I 327. 514. II 21. 267. 297. III 118. IV 237. 285. 708. V 739. VI 165. 208. 220. 293. VII 125. 134. 777. VIII 599. IX 285. X 445. 458. Deinde etsi multae comparationes moribus militum pugnantium illustrandis inserviunt, omnino res diversissimae, simodo vulgarem modum egrediuntur, similitudinibus exprimuntur ut celeritas impigritasque imaginibus sumptis a fulmine I 151. X 501. a tigride V 405, a funda et sagitta I 228, III 186. IX 826, a vento I 498, a leone I 205, a pardo VI 181, ab equo I 291, a Bellona et Marte VII 567, ab Aetna et

Typhoeo V 99. Apte Lucanus artem sollertiamque depingit comparationibus, quas petivit a venatore IV 437, ab ichneumone IV 724, a moderatore equorum VIII 199, a Sibylla V 183, a Medea X 464. Pompeii infirmitatem illustrat quercu I 136; silentium hieme I 259; segnitiem Pompeianorum homine saucio IV 285; constantiamperseverantiamque Isthmo I 100, fluctibus II 454; copiam magnitudinemque nimbo II 501, igne IX 182, fumo IX 460, coma feminea IX 632. Praeterea significantur detrimentum et defectus II 715. III 40. VI 501. IX 780; vis et effectus III 469. 549. V 336. VI 265. 500. IX 215; clamor I 388. 578, gemitus V 217, perturbatio I 72, 303; ordo V 716, extensio VI 272, crassitudo IX 796, tabes et pestis VI 89, 648. IX 780, fertilitas III 65; flamma diffissa I 552, tenebrae I 540. Pharsaliae igitur cum vario argumento apte congruit hic varius index tertii quod vocatur comparationis. Ut enim poeta legentium animos non solum ad pugnarum tumultus sed ut occassio fert, ad varios hominum et rerum casus convertit, ita etiam tertium comparationis spectat ad varias res illustrandas neque certum poetae consilium hac in re cognoscitur.

Iam percenseamus, quomodo comparationes respondeant rebus comparandis. Quo magis comparatio cum eo, quod confertur, congruit, eo maiore laude digna est. Hoc tenendum est, ne comparationes quidquam novi addant rei comparandae. Iam Homerum autem non semper hanc legem observasse, sed dulcedine imaginis, quam profert, in res abduci, quae nihil valent ad rem comparandam clarius illustrandam satis constat. Eadem comparationum natura apud Vergilium invenitur. Transeamus ad Lucanum. Comparationes, quarum singulae partes singulis rei comparandae partibus respondent, raro inveniuntur. Maior est numerus earum, quarum cardo in universum rem comparandam illustrat singulis imaginis partibus minus accurate respondentibus. Saepius enim poeta in imagine uberius exornanda tantum imaginis summam respicit in eaque depingenda totus occupatur, ita ut in medio relinquatur, num singulae imaginis partes rei comparandae maiorem lucem afferant. Inservit igitur haec

explicatior descriptio tantum ad ipsum comparationis cardinem, qui rei comparandae apte convenit, clarius proponendum. Accuratius de nonnullis similitudinibus videamus, ut apertius quomodo haec sint intellegenda eluceat. Habes aptas concinnasque comparationes velut V 183 sqq. illa Phemonoe de Appii fato consulta eius voluntati obsequitur.

„Talis in Euboico vates Cumana recessu
Indignata suum multis servire furorem
Gentibus ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu."

Accurate respondent sibi singula: Sibylla Cumana ex tanta fatorum strage Romana excerpens et Phemonoe „inter fata diu quaerens tam magna latentem" Appium.

IV 285 sqq. Pompeiani, qui morituri interitum nihil timent, negata morte ignavi se abiciunt.

„Saucia maiores animos ut pectora gestant,
Cum dolor est ictusque recens et mobile nervis
Conamen calidus praebet cruor ossaque nondum
Adduxere cutem; si conscius ensis adacti
Stat victor tenuitque manus; tum frigidus artus
Alligat atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens astrinxit vulnera sanguis."

Priores comparationis versus 285—88 respondent vv. 267/8:

„Ut leti videre viam, conversus in iram
Praecipitem timor est" et versus 288/9:
„Si conscius ensis adacti stat victor" cet. vv. 283/4:
„Inde ubi nulla data est miscendae copia mortis
Paulatim cadit ira ferox." cet.

II 297 sqq. Cato quod Roma et libertas in discrimine versentur bello se non defuturum esse dicit, ad quam agendi rationem affert imaginem patris, qui non prius carum natum morte ereptum deserit, quam iusta ei fecit. Ut igitur pater supremo fungitur officio in filium mortuum, ita Lucanus Catonem dicentem inducit, ita „non ante revellar,
Exanimem quam te complectar, Roma."

VI 208 sqq. Scaeva iam „gradibus fessis" densam telorum silvam in pectore fert.

„Sic Libycus densis elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit et haerentes mota cute discutit hastas.
Viscera tuta latent penitus citraque cruorem
Confixae stant tela ferae; tot facta sagittis
Tot iaculis unam non explent vulnera mortem."

Licet C. Fr. Weberus (de spuriis et male suspectis Lucani versibus p. 443) hanc comparationem ineptam suo iure dicat, tamen parum considerate dicit hoc: „non apparet, quid Lucanus comparet, utrum silvam densam an quod positio verborum indicare videtur: in quem cadat, eligit hostem (v. 206)." Mea quidem sententia dubitari nequit, quin similitudinis cardo positus sit in multitudine telorum, quod Lucanus ipse extremis comparationis versibus 212/3 denuo ad telorum copiam indicandam perfectae imagini adicit: tot sagittis, tot iaculis cet. Habes igitur comparationem congruentem cum re comparanda. Quanta enim constantia elephas hastas discutit vel ut „citra cruorum confixae stant tela ferae," ita Scaeva densam telorum silvam aequo animo in pectore fert.

Sed hunc locum iam emendatum exhibuimus. Legitur enim v. 207 in prioribus editionibus

„Par pelagi monstris. Libycae sic bellua terrae" ita ut duae comparationes unam eandemque rem illustrent. Sed est, cur hunc versum spurium esse putemus. Accuratius Weberus l. a. de hoc versu disseruit. Nam a vetustissimis et optimis libris Oudendorpii, Cortii, Burmanni abesse, in aliis ad marginem adscriptum vel a recentiore manu hunc additum esse (Weberus p. 443.) Steinharti collationibus firmatur: deest hic versus in codicibus Vossiano secundo et Montepessulano (Steinhart. de emend. Luc. p. 9). „Porro displicet repetitio vv. „Libycae sic bellua terrae" et „sic Libycus elephas." Quae autem Weberus de Lucani in comparationibus adhibendis usu profert, ea perspicua non sunt. Dicit enim l. a.: „Tum poeta non amat comparationes duas diversarum rerum ita coniungere, ut h. l. factum est, licet unam eandemque rem duobus vel pluribus modis interdum comparet cfr. VI 65 VII 777. X 445." Si quidem com-

parationum coacervandarum usum, quem Weberus dubium reliquit, e locis, quos ille attulit, colligis, hic locus illis plane adscribendus est. Nam una eademque res duobus comparationibus illustratur his quoque versibus; minime hic locus illis a Webero allatis repugnat. Sed ad hunc locum diiudicandum illae comparationes a Webero allatae omnino in censum non veniunt. Nam illis locis coacervantur comparationes ita, ut nulla praeter ceteras floreat. Aliter res se habet hoc loco I 207. Quare potius spectandae sunt similes comparationes i. e. tales, in quibus breviorem comparationem explicata sequitur. Praesto mihi est V 435 sqq., ubi ante pleniores comparationes brevior exstat. Vides in hac breviore quoque in aperto esse cardinem comparandi: „pigrius immotis haesere paludibus undae." Nihil autem haec comparatio „par pelagi monstris" confert ad telorum densam silvam ante oculos ponendam; minime tertium comparationis elucet ex hac sententia; quid omnino haec verba sibi velint, latet. Hic versus sine dubio delendus est.

C. Barthii sententiae, qui adductus simili Vergilii loco Aen. X 718 pro „discutit" v. 210 proponit „decutit," ita ut Lucanus ad litteram cum Vergilio, quem sine dubio imitatus est (cfr. p. 44) congruat, recte Oudendorpius repugnat, cum adnotat: „ibi (Verg. Aen. X 718) simpliciter dicitur Mezentium e tergo . . . . excussisse et tum deiecisse hastas. Hoc vero loco describitur bellua ab omni corporis parte telis obruta hastas concusso tergore et omnibus membris huc illuc in diversas partes disiecisse et proicere conata esse."

Bene quadrat ad milites Petreii oratione denuo ad alacritatem inflammatos significandos comparatio IV 237 sqq.:

„Sic ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae et vultus posuere minaces
Atque hominem didicere pati; si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque
Admonitae tument gustato sanguine fauces;
Fervet et a trepido vix abstinet ira magistro."

Respondent igitur Pompeianis, qui cum Caesarianis in gratiam redierunt, ferae mansuetae, sanguis vero quo rabies revocatur, Petreii adhortationi.

II 454 sqq. incolae Italiae in Pompeium proniores huic fidem servant, etiamsi haec „fides cum minaci terrore pugnat:“

> „Ut cum mare possidet auster
> Flatibus horrisonis hunc aequora tota sequuntur.
> Si rursus tellus pulsu laxata tridentis
> Aeolii, tumidis immittit fluctibus eurum,
> Quamvis icta novo ventum tenuere priorem
> Aequora nubiferoque polus cum cesserit euro,
> Vindicat unda notum.“

Licet Burmanus suo iure dicat totam hanc comparationem longe quaesitam et nimis argutam et declamatoriam videri, tamen apte illam rem, cui adicitur, illustrat. Respondent sibi singula hoc modo: populus-mare, Pompeius-auster, terror-eurus. Ex quibus notionibus oppositis elucet Ezrae Clercquii mendum, cum hunc locum ita explicat: „Quemadmodum cum horridis flatibus auster commotum possidet aequor, fluctus austro parent: si tum eurus austro contrarius insurgat, aequora licet novo vento quatiantur, nihilo minus impetum venti prioris sequuntur, et cum caelum saeviat aquilonibus, mare tamen austrum sibi vindicat; ita quoque terror ipsis adventu Caesaris incussus, licet publicus favor eos inspiraret, ut Pompeii partes sequi velle viderentur, tam validus erat, ut fides eorum vacillaret et conversa mente Caesari se dederent:“ Immo vero Lucani verba bene composita ordinataque sunt, neque coniecturis opus est. Pergere debebat Clerquius: ita fides pronior in Pompeium Caesaris adventu labefacta Magno servatur. Tum demum poeta ad novam rem transiens versibus sequentibus persequitur, quantum Caesar profecerit in hominum favore sibi conciliando. De „immittit“ pro Weberi „immittat“ vide p. 39.

> V 336 sqq. „Veluti si cuncta minentur
> Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
> Non magis ablatis unquam decreverit aequor,
> Quam nunc crescit aquis: an vos momenta putatis
> Ulla dedisse mihi?“

In promptu sunt respondentia: aquor-Caesar, flumina-milites. Non est, cur lectio cod. Voss. sec. v. 338 „decreverit“

mutetur in „descenderet,“ quod Voss. primus exhibet: tempus enim perfectum hoc loco minime offendit, cum significet certum statum ita, ut „decreverit“ sit idem ac „parvum sit.“

I 100 sqq. Crassus solus impedit, ne inimicitiae inter Pompeium et Caesarem erumpant

„qualiter undas
Qui secat et geminum gracilis mare separat Isthmos
Nec patitur conferre fretum; si terra recedat,
Jonium Aegaeo frangetur.“

Quae comparatio apte respondet rei comparandae: Crassus-Isthmos, maria Jonium vel Aegaeum-Pompeius vel Caesar. Elocutionem nimis contortam esse sententiamque aliis verbis iterari nemo est, quem effugiat. Displicet Webero v. 103 „frangat mare“ quod Vossianus pr. (A) et „franget mare,“ quod Voss. sec. (B) exhibet. „Si terra recedet, quid tum? vel terra vel Isthmos frangat Jonium mare Aegaeo. Ergo terra etiam postquam ablata est, frangat aliquid?“ Neque vero meliorem lectionem profert Weberus. Scite Madvigius hunc versum sanare conatur, cum dicit advers. II p. 129: „Haec si vera sunt, terra aut Isthmos Jonium mare Aegaeo fracturus esse dicitur, quod qui terra (recedens) efficere dici possit, non intellego. Alterum mare altero irruente et potentiore frangi poterat. Itaque suspicor scribendum: „Jonium Aegaeo frangatur“ et „mare“ mala manu additum puto ad Jonium.“ Arridet nobis Madvigii coniectura. Sed pro „frangatur“ propono „frangetur, lectionem cod. B, qui „franget“ exhibet secutus. Verborum neque scriptura neque sensus valde differt. Tempore enim futuro actio frangendi certiore quodam modo depingitur, quam praesentis coniunctivo cum coniunctivo id, quod cogitatur modo, significetur.

II 715 sqq. Pompeii classis, quam Caesar consequitur, extremas naves hostibus prodere cogitur.

„Ut Pagasaea ratis peteret cum Phasidos undas
Cyaneas tellus emisit in aequora cautes
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem.“

Primo obtutu vides congruentia: cetera classis abit summis spoliata carinis — rapta puppe minor subducta est montibus Argo.

Eandem naturam prae se fert comparatio IX 477 sqq.; respondet rei comparandae sed nimis longe petita est. Lucanus narrat venti turbine galeas et scuta viris eripi longumque in spatium per aëra deportata hominibus religionem inicere; nam „hominum erepta lacertis a superis demissa putant“

„Sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numae, quae lecta iuventus
Patricia cervice movet: spoliaverat auster
Aut boreas populos ancilia nostra ferentes.“

IX 902 sqq. propter consuetudinem genuinos parentibusque dignos partus perquirendi Psyllos, Africae gentem, poeta confert cum aquilis.

„Utque Jovis volucer, calido cum protulit ovo
Implumes natos solis convertit in ortus:
Qui potuere pati radios et lumine recto
Sustinuere diem, caeli servantur in usus:
Qui Phoebo cessere, iacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis ludit serpentibus infans.“

Apte respondet aquila Psyllo, aquilae partus Psyllorum infantibus, pulli aquilini solis radios sustinentes eis Psyllorum infantibus, qui serpentibus ludunt.

V 711 sqq. Caesaris classis certo ordine e portu vehitur, tempestate autem singulae naves dissipantur.

„Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt
Poturae te, Nile, grues primoque volatu
Effingunt varias casu monstrante figuras.
Mox ubi percussit densas notus altior alas
Confusos temere immistae glomerantur in orbes
Et turbata perit dispersis littera pennis.“

Ventus et gubernatores pariter naves regunt ita, ut certus navium ordo exsistat — grues volantes varias figuras effingunt; nox saeva puppes ordine excussit, — grues tempestate coorta certo ordine volare desinunt. Steinharto assentior, cum lectionem cod. Voss. B. „densas“ v. 714 praefert voci „tensas“ codicis Voss. A. Supervacaneum enim hoc loco positum videtur „tensae,“ quod poeta aves inducit volantes. Contra „densae“

alae optime oculis subiciunt aves nullo spatio interiecto volantes, ita ut certas figuras effingant.

Sed ut iam commemoravimus plerumque Lucanus imagines inducit, quibus in universum rei comparandae cardinem dilucide ante oculos ponit; singulae autem talium imaginum partes parum ad id, quod comparatur pertinent, sed tantum tertium comparationis clarius illustrant. Saepe explicantur his imaginibus animi motus velut II 21 sqq. Romani imminente bello civili vehementer sollicitati dolore torpent.

„Sic funere primo
Attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata iacent nec mater crine soluto
Exigit ad saevos famularum brachia planctus;
Sed cum membra premit fugiente rigentia vita
Vultusque exanimes oculosque in morte minaces;
Necdum est ille dolor, sed iam metus incubat amens,
Miraturque malum.“

Respondet igitur Romanis mater, bello civili funus; singulae autem imaginis partes explicant fusius naturam matris filium dolentis; ad comparatum ipsum minus spectant.

Omnis suspicio a lectione „funere“ v. 21 removenda est, quam vocem Vossianos praebere codices ex Oudendorpii silentio certissime colligitur. Quamquam recte Bentleius adnotat tantum abesse, ut funus inceptum sit, ut aegrotus nondum mortuus sit, tamen poetae animo iam funus eiusque caerimoniae obversantur, quod luculenter colligitur e verbis „cum corpora nondum conclamata iacent nec mater crine soluto exigit ad saevos famularum brachia planctus,“ quae omnia spectant ad funebria. Non est igitur, cur haec lectio mutetur in „vulnere primo,“ quod Bentleius coniecit „figurate primo pavore et consternatione,“ vel in Clerquii „fulmine primo i. e. primo ictu fulminis scilicet fortunae matrem filio unico privaturae; quod hinc patet quia dicit: attonitae tacuere domus. Fulmine enim tacti stant attoniti, muti et elingues evadunt.“ Clercquii mendum in aperto est; etsi enim voce fulminis translate utitur, tamen ut hanc interpretationem adiuvet, veri fulminis naturam profert. Contra vox funeris a

nobis defensa munitur, si totius loci sensum in animum revocamus. Affert enim Lucanus „manifesta belli signa“ (II 1), e quibus intellegitur „quantis sit cladibus urbi constatura fides superum“ (v. 16); tempus igitur futurum obversatur poetae, quare non dubitat, etsi filium morientem inducit, tamen voce funeris uti. v. 26 Oudendorpius suo iure vocem „minaces“ restituit pro „iacentes,“ cum omnes quos inspexit codices, in quibus Vosscani et Montepessulanus, conspirent in voce „minaces;“ quod statuendum est dici pro „oculos distortos“ quales sunt minantium; nec coniecturis hoc loco opus est, immo potius reminiscamur Steinharti verba (de emend. Luc. p. 28): „maxima cautione agendum est, ut ne carmen neque absolutum neque perpolitum restituere rati ipsum Lucanum emendemus.“

Initio carminis poeta Pompeii et Caesaris naturam diversam describit, de quibus locis una disseramus, etsi comparationum, quas Lucanus profert, prior accuratius respondet Pompeii moribus, quam Caesari illa comparatio a fulmine petita, quae tantum in universum Caesaris ferociam depingit. Pompeii mores hac similitudine illustrantur I 136 sqq.:

„Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi sacrataque gestans
Dona ducum; nec iam validis radicibus haerens
Pondere fixa sua est nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram.
At quamvis primo nutet casura sub euro
Tot circum silvae firmo se robore tollant
Sola tamen colitur.“

Caesarem propter animum acrem cum fulmine comparat v. 150 sqq.: (gaudensque viam fecisse ruina)

„Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris impulsi sonitu mundique fragore
Emicuit rupitque diem populosque paventes
Terruit obliqua praestringens lumina flamma;
In sua templa furit: nullaque exire vetante
Materia magnamque cadens magnamque revertens
Dat stragem late sparsosque recolligit ignes.“

Adnotant ad v. 136 scholia Vossiana (cfr. Weber. III p. 28) „Pompeium quercui iam vetustae, agro vero Romam comparat, silvis duces Romanorum vel diversas gentes, quae Pompeio favebant; Julium vero comparat fulmine.“ Quam sententiam impugnat Clercquius cum dicit: „Effingit hic poeta mores Caesaris et Pompeii eosque comparat. Hunc quidem tropaeo veteri donis ducum et spoliis hostilibus ornato, illum vero fulmini omnia sternenti et templa sua disicienti similem facit,“ quibus verbis paulo infra adicit: „odium meretur nugacissimus scholiastes, qui de quercu viva haec capiens male sedula sua importunitate doctissimos interpretes in errorem duxit.“ Sed scholiastae sententiam probandam esse mihi quidem persuasi. Diligenter consideremus hunc locum. Lucanus ipse breviter Pompeii naturam, quam prioribus versibus satis explanatam hac comparatione illustrat, complectitur his verbis v. 135: „Stat magni nominis umbra;“ omnem igitur auctoritatem, qua Pompeius fruitur, priori fortunae debet, fama tantum rerum antea gestarum remansit, ipse „vergentibus annis in senium longoque togae tranquillior usu dedidicit iam pace ducem.“ De immutatis igitur Pompeii moribus poeta verba facit, quos apte imagine a quercu viva petita illuminat. Tropaeum enim nunquam naturam mutat, sed omnibus temporibus in eodem honore habetur. Contra quam scite poeta Pompeium consenescentem confert cum quercu per aëra nudos ramos effundente! Et Pompeius propter priores res gestas et quercus propter exuvias armaque quae gestat cultum auctoritatemque sibi servant. Praeterea quid sibi velint verba: „nec iam validis radicibus haerens,“ quid sibi velint: „nudos ramos effundens,“ si tropaeum animo fingis? (quod sentit Clercquius, quare „nudos,“ quae vox in Vossianis et Montepessulano codicibus est, mutat in „nullos.“) Quid quaeso: „tot circum silvae firmo se robore tollant, sola tamen colitur,“ nisi in animo habes silvam quernam, in qua certa quaedam quercus, etiamsi a ceteris robore ac firmitate superatur, tamen propter memoriam rerum egregie gestarum sola colitur? Quod ad cultum attinet tropaeum, quod in silva positum semper cultu honoreque praeter arbores floret, minime in certamen vocatur cum quercu, contra invalida quercus exuviis honorata cum

valida quercu vigente: ut quercus etsi invalida esse coepit, sola tamen colitur, ita in Pompeium Romani honores congerere pergunt.

Offendit idem Clercquius in voce „populi" v. 137 cum dicit: „Sive enim veteres populi sive veteris populi exuvias legas, haud expeditum erit, cuius populi illae exuviae fuerint." Recte iam Burmannus: „Sine dubio eius qui illo in loco, ubi illa quercus stabat, bella gessit et victoriam reportavit et ita de quocunque populo, etiam si vis de populo Romano potest capi. v. 143 „tantum" pro adverbio habendum esse putem, quod e Pompeii moribus Lucanus elicere studet hunc Caesari inferiorem fuisse, ne quis Pompeium de clade accepta obiurget. Minime igitur Lucanus „Caesari geminis lustris in Gallia bellanti et fortiter et feliciter res gerenti, famam ducis denegat (ut Clercquius putat), sed Caesarem Pompeio virtute antecellentem inducit.

Iam ad alteram similitudinem transeamus! Haec imago (v. 151 sqq.), qua Lucanus Caesaris vim indomitam confert fulmini, per se ipsa placet, sed in universum tantum Caesaris animum acrem depingit. Huic quoque loco emendando operam dederunt editores vanam, quod lectio, quam secundum optimos codices Vossianos exhibuimus, bene defendi potest, nisi poetam ipsum emendare volumus. Apte enim haec comparatio adnectitur verbis v. 150 „gaudensque viam fecisse ruina." quae sententia poetae ingenio hanc ipsum fulminis imaginem proponit, quae verbis emicuit - rupit - terruit - satis naturam fulminis describeret. Neque vero hac fulminis descriptione poeta contentus est, sed quod comparationis cardo versatur in violentia fulminis et mentem impavidam Caesaris ne sui quidem regni rationem habentis illustrat, fusius fulminis naturam explicat his:

„In sua templa furit: nullaque exire vetante
Materia magnamque cadens magnamque revertens
Dat stragem late sparsosque recolligit ignes."

Etsi artificiosa coniunctio sententiarum: „emicuit rupitque populosque terruit. furit" desideratur, tamen I 72 sqq. poeta simili modo alii aliam sententiam apponit nulla coniunctione usus. Certe Bentleium, quem coniunctionem inter

verba „emicuit“ et „furit“ requiri recte sensisse dicit Clercquius, offenderunt tempora perfecta, quae arte cum „furit“ coniungere voluit. Falso, quod tempora perfecta in imaginibus adhibere usitatissimum est apud poetas Latinos, cum poetae illud ipsum, quod semper fit, vivide enuntiant certo ac definito tempore factum esse (cfr. p. 38). „Templa“ v. 155 interpretor regiones quascunque fulmen tangit. Sed quid significent verba: „nullaque exire vetante materia,“ non satis patet, quare Clercquius adnotat: „si enim nihil exire vetat, quomodo stragem dare potest fulmen,“ quare scribit „dura“ nulla auctoritate codicum, e quibus optimi Vossiani concinnunt in „nulla.“ Dubito an sollicite explicet his verbis poeta, quanta mobilitate fulmen huc illuc volans omnem materiam perscindat; nulla materia sola fulmine icta eius cursum ab aliis locis retinet, sed omnia fulmen perrumpit ita, ut idem fere significans ac „cadens“ et „revertens“ magis illam mobilem vagamque fulminis naturam illustret. Recte sine dubio Weberus v. 154 vocem „praestringens“ i. e. ad tempus occaecans, quam praebent Vossiani AB, in textum recepit.

Simili modo poeta I 498 sqq. singula persequitur imagine, quamquam comparatio cum re comparanda non congruit nisi in universum. Ut enim clarius nobis ante oculos ponat, quanta desperatione Romani fugae se dent, dicit poeta:

> „Qualis cum turbidus auster
> Reppulit a Libycis immensum Syrtibus aequor
> Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
> Desilit in fluctus deserta puppe magister
> Navitaque et nondum sparsa compage carinae
> Naufragium sibi quisque facit:“

Mare „immensum“ quod epitheton Weberus in suspicionem vocavit, cum dicit spinose: „quomodo autem hoc aequor prae aliis immensum“, legitur in optimis codicibus Vossianis A B et munitur V 438 quo loco sicut hoc additum est nullo certiore poetae comsilio. Altera dubitatio, quam Bentleius et Clercquius de verbis v. 504 „in bellum fugitur“ proferunt, tollitur toto loco accurate examinato. Neque enim satis interpretes versuum 490 sqq. rationem habuerunt: „Tum quae tuta

petant et quae metuenda relinquant Incerti quo quemque fugae tulit impetus, urgent Praecipitem populum cet." Suum igitur quisque statum praesentem mutare studet secum non reputans, num salutem sibi paret. Quin etiam ut nauta ipse naufragium sibi facit nondum sparsa compage carinae, ita Romani in bellum fugiunt i. e. tum demum interitum sibi parant. Supervacaneam Clerquius profert coniecturam hanc: „in fatum fugitur i. e. in mortem, quam urbe relicta se effugere posse sperabant. Sequitur enim haec ἀπόδοσις sponte ex praevia comparatione nautarum, qui nave nondum fracta in fluctus desiliunt et ut naufragium vitent, sponte sibi naufragium faciunt." Minime probo illa: „mortem, quam effugere posse sperabant" et „ut naufragium vitent," cum omnino in antecedente comparatione poetae non libuerit proferre, quid nautae fugiant. Immo nautas, cum omni ratione consilioque careant plane de salute desperantes in cassum agi facit poeta; quare ineptum est illud Clercquii: „bellum non fugiunt cives trepidantes sed mortem". cum nihil his: „sic fugitur" poeta dicit, nisi Romanorum temeritatem eandem esse ac nautarum. Illud „in bellum" adicit, cum res propositas narrare pergit; comparatio ipsa nihil illustrat nisi Romanos nullo consilio statum mutantes.

Imagine longe arcessita usus est poeta IX 182 sq., ut legentium animos ad ignes, quibus honores manibus Pompeianorum peremptorum tribuuntur, advertat:

„Sic ubi depattis submittere gramina compis
Et renovare parans hibernas Apulus herbas
Igne fovet terras simul et Garganus et arva
Vulturis et calidi lucent buceta Motini."

In universum tantum flagrandi notio hac comparatione illustratur; ut imaginem exornaret poeta singulas res minus pertinentes ad eum cerminis locum, qui comparatur, explicandum adiecit.

Idem iudicium facies de imagine VII 134 sqq., cuius singula ornamenta poetae ingenio debentur. Inducit enim Lucanus homines suos dolores et labores contemnentes: ut in imminente mundi ruina homines ad summam desperationem adducti sibi suisque rebus nihil timebunt, ita milites Pompeiani suam salutem neglegunt, „Urbi Magnoque timetur."

Stragem bello civili confectam Lucanus hoc modo comparat I 72 sqq.:

„Sic cum compage soluta
Saecula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos; omnia mistis
Sidera sideribus concurrent. Ignea pontum
Astra petent: tellus extendere littora nolet
Excutietque fretum: fratri contraria Phoebe
Ibit et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi: totaque discors
Machina divulsi turbabit foedera mundi.“

Haud invenustam esse imaginem hanc per se spectatam puto; sed in singulis eius partibus exponendis cum nimis luxuriet poeta, hanc fusam descriptionem offendere interpretes mirum non est. v. 74 Bentleius pro „sideribus“ legit „seminibus h. e. particulis“ vel totum versum inde a „omnia“ usque ad „concurrent“ explodere vult. Minus placet Clercquii sententia, qua Bentleii verba confirmare studet: „vox sidera mihi suspecta est, quam corruptam esse iudico, quia de pugna siderum in fine saeculorum nihil mihi compertum est.“ Nec mihi! sed hoc poetae arbitrio permittamus: Accuratius Trampius (de Lucani arte metrica, Berolini 1884) de hoc difficillimo loco disputavit, cum de incisionibus sententiae et versus haec p. 69 observavit: in sede bucolicae saepissime Lucanus sententiam novam incipit ubique fere servata lege ea, ut sit pes quartus dactylicus.“ Huic legi repugnat (v. 75) pes quartus: concūrrēnt: spondiacus. Certum indicium de hoc loco ferri non potest. Sed cum hic versus non solum sine ullo sententiae detrimento omitti possit, sed omnino quid sibi velit, non satis pateat, praeterea hoc versu omisso haec a Trampio observata lex bene servetur (iterūm chăŏs. Ignea cet.), haec verba spuria esse putem, etsi inveniuntur in optimis codicibus Vossianis et Montepessulano. Verba, quae sequuntur, hoc medo interpretor: tellus littora quasi molem fluctibus oppositam extendere non vult i. e. fluctibus non resistet, excutietque fretum i. e. fluctus terrae motibus agitabuntur.

Pompeius VI 269 sqq. a Caesare obsidente liberatus late copias dimittit, quam rem confert v. 272 sqq.:

„Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas nec totos concutit agros
274. Succubuit si qua tellus cumulumque furentem
Undarum non passa ruit, tum flumine toto
Transit et ignotos aperit sibi gurgite campos.“

Hac comparatione extensionem in universum significari apparet, sed singulae imaginis partes suspicionem movent. Nam inde a versu 274 aliquid novi a Lucano depingi e sententiarum nexu elucere videtur. Quomodo autem his versibus alia res describatur ac versibus 272/3, indagare nequeo. Quare Weberus ad coniecturam confugit versus 272/3 hunc in modum mutans:

„Sic pleno Padus ore tumens intra aggere tutus
Decurrit ripas cet; ubi enim ripae sunt firmae atque aggere tutae, illic intra alveum continetur Padus; at sicubi ripae imbecilles sunt, ibi erumpit et ignotos sibi campos aperit.“ Arridet haec coniectura perfectam imaginem praebens, sed refellitur optimorum Vossianorum codicum auctoritate, qui consentientes exhibent: super aggere tutas excurrit ripas. Huc accedit, quod haec coniectura repugnat illis, quae Trampius p. 16 de Lucani usu elisionum observavit. Quattuor enim locos Trampius contulit, ubi vocalis producta eliditur in arsi quinta, quem parvum numerum coniecturis dubiis augere ferri nequit. Displicet igitur illud: „intra aggere.“ Sed meliorem lectionem ut reperirem mihi non contigit. Nihil igitur relinquitur, nisi ut hanc lectionem traditam recipiamus, quam desiderare extremam poetae manum praeter causas allatas verisimile videtur eo, quod (Trampius p. 66) Lucanus „praepositionem solam divulsit a nomine recto nusquam nisi hoc uno loco.“

Exstant autem hoc in genere comparationum nonullae, in quibus poeta tertium quod vocant comparationis accurate significans parum respexit rem comparandam, quo fit ut repugnent sibi paululum comparatio et res comparata velut X 464 sqq., quo loco Caesar regem Ptolemaeum huc illuc secum raptat, ut ob eo occasione oblata poenas expetat eiusque capite absciso „si non sint tela, nec ignes“ telo utatur.

„Sic barbara Colchis
Creditur ultorem metuens regnique fugaeque
Ense suo fratrisque simul cervice parata
Exspectasse patrem.“

Caesar — Medea, Ptolemaeus — Absyrtus, famuli regii — Aeetes; sed Medea fratrem iam consecuit, Caesar Ptolemaeum interficere minatur.

Similiter res se habet VI 220 sqq. Scaeva, cuius oculus sagitta transfoditur, intrepidus telum cum oculo evulso pedibus calcat, quem comparat Lucanus hoc modo:

„Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa
Cum iaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus; telumque irata receptum
Impetit et secum fugientem circuit hastam.“

Scaevae irato respondet in universum ursa telo icto. Hoc interest: Scaeva telum corpore iam amovit, id quod ursa perficere studet.

I 205 sqq. poeta Caesarem Rubiconem transeuntem leoni componit accurate proprio huius bestiae ad amplificandam Caesaris animi affectionem usus. Caesar etsi specie patriae per quietem oblata parumper perterretur, tamen inita ratione in consilio proposito permanens flumen transit.

„Sic cum squalentibus arvis
Aestiferae Libyes viso leo comminus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram.
Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae
Erexitque iubas et vasto murmur hiatu
Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri
Haereat aut latum subeant venabula pectus
Per ferrum tanti securus vulneris exit.“

Respondent sibi species patriae et leonis hostis, ratio Caesaris et ira leonis. Hoc autem interest inter comparatum et comparationem: leo telis agitatur, Caesar ab hostibus non vexatur, licet totam Italiam, utprimum Rubiconem traiecit, infestam sibi reddiderit.

Codex Vossianus A v. 205 exhibet „sicut“ idem significans ac „sic cum“ codicis Vossani B, cuius verba Steinharti

rationem secuti in textum recepimus. Quod autem hoc modo („sic cum“) constructio fit languida, non tanti momenti nobis videtur esse, ut codicis melioris lectionem hoc loco repudiemus. Clercquii „subsidit“ v. 207 refellitur illis, quae de temporis perfecti usu a sermone vernaculo recedente disseruimus p. 38, qua ratione defenditur optimorum Vossianorum codicum „subsedit.“ Eorundem codicum lectionem v. 209 „Erexitque iubas et vasto murmur hiatu“ iam Trampius restituit neque Cortium secutus: „Erexitque iubas vasto et grave murmur hiatu“ parvum mumerum illorum locorum auxit, ubi particula „et“ invenitur in arsi quarta.

Saepenumero autem poeta eis similitudinibus, quibus omni ex parte res comparandae accurate illuminantur, insuper alias res addit, quae minime ad id, quod comparatur, pertinentes tantum imagini adornandae inserviunt. Poetae ingenium totum in his imaginibus expoliendis occupatur, quare res comparanda ipsa obscuratur. Homericarum comperationum memoriam repetens non miraberis hanc comparandi rationem, cuius exempla apud Vergilium quoque invenies. Accuratius videamus de Lucani hoc usu. IV 549 sqq. milites classici ab Octavio per dolum capti, auctore Vulteio, tribuno militum Caesarianorum, manus sibi inferunt.

„Sic semine Cadmi
Emicuit Dircaea cohors ceciditque suorum
Vulneribus dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenae missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos implerunt sanguine sulcos;“

Hisce versibus comparatio satis absoluta est. Sed Lucano tota fabula obversatur et rei comparandae oblitus adicit, haec quae nihil ad mortem Pompeianorum mutuam illustrandam conferunt:

„Ipsaque inexpertis quod primum fecerat herbis
Expavit Medea nefas.“

IX 283 sqq. classicis Catone admonente cupiditas pugnandi revocatur. Bene quadrat ad hanc rem illustrandam comparatio ab apibus petita, quamquam poeta nimis luxuriose

imaginem exornat. Omnes puppes haud aliter revocavit ab aequore,

„Quam simul effetas linquunt examina ceras,
Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quaeque volat nec iam degustat amarum
Desidiosa thymum: Phrygii sonus increpat aeris.
Attonitae posuere fugam studiumque laboris
Floriferi repetunt et sparsi mellis amorem."

Sola imagine inductus poeta his versibus addit:

„Gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
Divitias servasse casae,"

etsi infitiari nequimus venustate florere hoc ornamento hanc imaginem.

Comparationes V 435 sqq. legentium animos in aequora alto torpore ligata advertunt. Bene absolveretur comparatio a Bosporo sumpta his verbis (v. 439)

„Comprimit unda deprendit quascunque rates."

Sed insuper uberius eandem sententiam poeta depingit cum dicit:

„Nec pervia velis
Aequora frangit eques fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Maeotida Bessi."

Etsi Lucanus his magna verborum ubertate exornatis imaginibus nonnulla addit, quae tantum imaginis naturae debentur, tamen hanc legem observavit, ne quidquam adiciatur imagini, quod rei comparandae repugnat. Aliter res se habet his locis: IV 437 sqq. subdole ac versute Octavius opportunissimam navium deprehendendarum occasionem exspectat:

„Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratae metuentes aëra pennae;
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator tenet ora levis clamosa Molossi,
Spartanos Cretasque ligat: nec creditur ulli
Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit et praedae nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro."

Ut igitur venator canes, ita Octavius milites continet. Sed Lucanus iam hac amplificata similitudine indicat, quae

postea demum accidunt cum dicit: „nec creditur ulli silva cani, nisi qui . . . nescit latrare," quod Octavius omnino nulli hostes explorandos dat.

IV 724 sqq. Iubam Sabburamque propter sollertiam, quam in Curione incauto opprimendo praestiterunt, Lucanus comparat cum ichneumone, qui serpentes astute capit," hoc modo:

„Aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis
Ludit et iratas incerta provocat umbra."

Respondent sibi singula: hostis — Iuba, Aspides — Curio eiusque milites, caudae umbra — Subbura. Sed ne imaginem incohatam imperfectam relinquat, poeta adicit:

„Obliquatque caput, vanas serpentis in auras
Effusae tuto comprendit guttura morsu
Letiferam citra saniem;"

latiusque prosequitur dicendo hanc imaginem:

„Tunc irrita pestis
Exprimitur faucesque fluunt pereunte veneno."

Praecipit igitur poeta ea, quae postea demum proferuntur, cum Curionis cladem hoc libro extremo describit. v. 726 codex Vossianus B exhibet „obliquatque" ita ut coniunctio inter „obliquat" et „comprendit," desit, sed cfr. similia VII 372, IX 25 et 56 sqq., quare dubito num praeferam lectionem codicis Vossiani A: „obliquusque caput" idem fere significans, nisi quod obliquus" actionem obliquandi per longius tempus permanentem significat, quam „obliquat." Accusativum quem vocant Graecum saepissime inveniri apud omnes poetas constat; e Lucano affero contusaque pectus" II 335; e Silio Italico attulit huic similem locum (XVI 479) „pectora proni" Engelhardtus (pass. Verba mit dem Akkusativ und accusat. Graecus. Bromberg 1879).

Reprehendendus est locus II 601 sqq. quo poeta similitudini prolatae res, quae manifesto rei comparandae repugnant, adicit. Pompeius enim Romam deserit Brundisiumque se confert.

„Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit vacuosque per agros

Exsul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus nisi cum cervice recepta
Excussi placuere tori: mox reddita victor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit."

Forti igitur cum tauro comparatur Pompeius, quamquam nulla ratione Caesari resistere conatur, sed in desperationem adductus tantum audito illum ad urbem appropinquare Romam hostibus prodit fuga salutem petens. Tertium comparatisnis est actio recedendi; ornamenta autem illius venustae imaginis tantum abest, ut Pompeium ignave fugientem depingant, ut contra fortiter ac prudenter agentem.

Minime Clercquio assentior proponenti v. 206: „comitantibus agmine vaccis" pro „comitantibus agmina tauris" quod in optimis codicibus Vossianis legitur, cum dicit: „Quid enim illud insulsum „comitantibus agmina tauris" huc faciat, videre nequeo. Tacent interpredes perinde ac si hic omnia plana et nihil difficultatis subesset. Tauri hi duo depugnarunt pro amata iuvenca." Sed quid impedit quominus animo fingamus plures tauros pugnates, qui devicti fortiori tauro concedunt principatum? Praeterae „agmine" sine ullo epitheto magnam turbam significans dubito, num unquam usurpetur. Vergilius (georg. III 235 ), quem locum Clercquius similem affert, illud „agmine" non exhibet et in reliquis invenitur „agmine" coniunctum cum „magno."

Iam de similitudinibus per se solis disputemus. Usitatum est apud poetas in comparationibus pro genere exhibere speciem. Etsi Lucanus nonnullas comparationes a rerum genere petitas adhibet velut IV 237. 313. VIII 398. 599. X 445, tamen hunc ab omnibus poetis usurpatum morem libenter sequi videtur. Proferamus singula! Animalia adscribuntur certis locis, in quibus praeter cetera versantur velut canes Molossi, Spartani, Cretes (VI 437), elephas Libycus (VI 208), ursa Pannonis (VI 220) grues Strymona relinquunt, Nilum petunt (V 711), equus Eleus (I 291), tigres in nemore Hyrcano (I 528), leo Libycus (I 207), aspis Pharia (IV 724), apes Hyblaeae (IX 291). Saepius commemorantur singuli venti velut auster, eurus, notus (II 454), auster (IX 781), boreas (V 217. IX 479) eisque adiungit poeta certas regiones, ut boreas Thracius Ossae

incumbens (I 389), auster in Syrtibus Libycis flans (I 498); vel certos deos et homines agentes inducit Lucanus velut vates Cumana „Euboico recessu“ (V 183), terrigenae Thebani et Colchici (IV 549), Edonis de Pindi verdice decurrens (I 674), Venetus in Pado, Britannus in Oceano navigantes (IV 134), Maurus (I 210), Libys (VI 221), Bessus (V 441); memoratu digna videtur mihi comparatio I 34 sqq., ubi notionem generalem deorum sequitur certus deus (Jupiter), cui similem locum e Statii Achilleïde affert Krausius (p. 25 l. a.)

Saepius plures comparationes ad unam eandemque rem illustrandam coacervantur. [Quae Bussenius de hoc usu apud Homerum disseruit, ea diligenter iam Schellertus (l. a. p. 7 usque ad 9) examinavit.] Recte Bussenius putat hoc non solum fieri, ut res quaedam gravior explicetur, sed etiam ut singulae imagines varias facti vel rei vel personae partes significent. Quod poetae Alexandrini nisi ut doctrinam ostentarent nulla probabili ratione adhibita plures comparationes coniunxerunt, mirum non est. Nec Vergilius plane hoc crimine absolvi potest. Removendi sunt e Pharsaliae locis a Bussenio p. 5 enumeratis IV 437 et VI 286, quod his locis una comparatio invenitur. Sed aliquanto saepius, quam Bussenius opinatur plures comparationes nihil aliud spectantes nisi rhetoricum orationis nitorem coacervantur velut I 229. 574. II 162. 541. 665. III 284.*) IV 134. 821. V 435. VI 90. VII 567. 777. IX 781. 797. X 458. 474 quibus comparationibus eadem genera materiam praebuerunt. Sed V 405 fulmen cum tigride et X 445 feram

*) Clercquius errat cum dicit: „regna Memonia nihil aliud notare possunt, quam Aethiopiam, ubi regnavit Memnon.“ Fama de Memnone tradita non sibi constat. Et Aegyptius fuisse et Susa condidisse Memnon dicitur. cfr. Stephanum Byzantium sub *Σοῦσα, πόλις ἐπίσημος Περσική, Μέμνονος κτίσμα. κέκληται δὲ ἀπὸ τῶν κρίνων, ἃ πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ πεφύκει ἐκείνῃ, σοῦσόν τε αὐτὸ καλοῦσιν οἱ βάρβαροι. οἱ πολῖται Σούσιοι, οὓς καὶ Κισσίους φησὶ κεκλῆσθαι, ἀπὸ Κισσίας τῆς μητρὸς Μέμνονος.* Minime igitur „Cyrus et Memnonia regna se mutuo evertunt.“ Bentleii sententiae „Cyrus — descendit, Perses de eodem dictum“ repugnat illud „et“ v. 285. „Perses“ interpretamur „Xerxes“; neque enim singularis numerus verbi „descendit“ impedit, quominus referatur ad duo nomina propria, quam constructionem verborum iam Cicero adhibet, (cfr. Dräger histor. Syntax der Latein. Sprache § 103). Cicero de orat. 2, 12. 3, 18. Brutus 8, 30. 11, 42.

cum Vulcano coniunxit Lucanus, quem usum animalia et inanima vel diversa animantia in comparationibus coniungendi eundem invenies apud Vergilium (Aen. II 304. VI 309. XI 67. XII 521) et Valerium Flaccum ceterosque. Etsi saepius singulae comparationes unius rei vel actionis partes ita, ut progressus quidam cognoscatur, illustrant (I 100. 151. 208. II 21. 454. 601. IV 237. 285. 549. 724. V 711. VI 271. IX 283), tamen, quas comparationes Lucanus coacervavit omnes eundem rei comparandae cardinem repraesentant.

Quod Krausius (p. 32. l. a) putat omnes poetas „in comparationibus ea, quae homines sentiunt vel agunt rebus tum animantibus tum inanimis tribuere,“ Lucanum neglexit, qui hanc rationem in animantibus describendis non sequitur; de rebus inanimis cfr. I 260 rura silent, I 155 nulla exire vetante materia, VII 92 antra anhelant, II 162 Thracia vidit, VI 166 classica succendunt furorem, IX 479 spoliaverat auster, I 76 tellus nolet extendere, III 119 auri nescit amor timere, X 477 orbis ausus est tantum scelerum.

## Caput II.

Transeamus nunc ad alteram partem disputationis accuratiusque quaeramus de comparationum forma grammatica. Ac primum quidem qua ratione annexae sint, deinde de temporibus modisque disseramus. Copiose de comparationes adiungendi usu apud poetas Latinos dixit J. Walser (Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien 1878 p. 595—607: Über die Einführung der Gleichnisse bei den Epikern); quare dubito novine quidquam afferam. Sed operae pretium videtur hunc Lucani usum accuratius perquirere, ut cognoscamus, num in hac re Lucanus differat a ceteris epicis Latinis necne. Quam quaestionem instituentes Bussenii sequemur rationem, qui p. 17 sq. Valerii Flacci usum cum Vergiliano comparavit ita, ut singulis Valerii Flacci apponeret Vergilii locos. Simili modo afferamus indicem formarum, quas Lucanus adhibuit. Annectuntur comparationes

I. pronominibus et demonstrativo: talis (VI 90.) et relativo: qualis I 136. 543. 574. III 512.

II. adiectivis: par III 380. IX 893. non tantum II 162. haud alios VII 777; quantus IV 767. imitata I 552, aequaturus IV 680. vel adiectivorum gradu comparativo: non altius IX 460, non ocius IX 781, ocior I 229. V 405, mitior I 446 VIII 599, felicior I 326. II 583, peior III 186, dulcior V 739, pigrius V 435, pollentior VI 685 vel superlativo: simillima II 501.

III. numerali nomine: non tot III 284.

IV. substantivo: instar X 111. I 199, more IX 632, ritu IV 313, VIII 398.

V. verbis: imitantur I 430, aequaret I 641.

VI. adverbiis: sic II 21. IV 134. 437. V 436. 711. VI 208. 272. IX 182. 477. X 445. 464. non sic VI 648. VIII 199. IX 798. ut II 454. 665. 715. IV 285. 724. VII 125. X 216. veluti IV 708. V 443. VI 65. VII 568. qualiter I 151. non tam IV 297. IX 819, usque adeo III 118, haud aliter VI 220. ceu II 297. V 99. vel adverbiis cum coniunctionibus coniunctis: ut cum I 118. II 547. IV 489, sic cum I 205, sic ubi IV 237sic dum IV 437.

Plerumque sequitur comparatio id, quod comparatur, quam rationem et Vergilius et Valerius Flaccus observant, sed paucis locis antecedit comparatio rei comparandae I 199. II 501. IV 313. 680. 767. VIII. 398. IX 632.

Saepius et comparatio et id, quod comparatur variis nominibus vel particulis comparativis instruuntur:

I. et protasis et apodosis pronominibus: qualis — talis I 674 (quo loco antecedit comparatio comparato.)

II. et protasis et apodosis adiectivis: tantum quantum I 292. III 41. 165. X 477. tantus — quantus I 388. (sequitur comparatio); quantum — tantum IX 461, quanto — tantum I 578 (antecedit comparatio).

III. protasis adiectivo, apodosis pronomine: tantum — quod III 538 (sequitur comparatio).

IV. protasis adiectivo, apodosis adverbio: non alio (motu) — quam X 501 (sequitur comparatio); talis — sic V 183. (antecedit comparatio rei comparandae).

V. protasis comparativo adiectivi gradu, apodosis adverbio: nec magis — quam II 541. VI 263, non segnior —

quam VI 181, maior — quam si IX 215; pluribus (notis) — quam IX 713, nec plus — quam IX 144 (sequitur comparatio).

VI. et protasis et apodosis adverbiis: tam — quam VIII 872. non secus — quam I 303. (comparatio sequitur); ut — sic III. 362. 482. 549. V 217. VIII 488. utque — sic I 327. IX 808. non sic — ut VI 293 (comparatio antecedit comparato).

Saepius igitur si comparatio sequitur rem comparandam, inveniuntur verba comparativa et in protasi et in apodosi apud Lucanum, cui contrariam rationem adhibent et Vergilius et Valerius Flaccus.

Interdum poeta post comparationem absolutam iterum rem comparatam commemorat velut I 257: —, quantum . ., tanta. X 59: —, quantum, tantum, II 670: —, tales . . ., sic; I 99: —, qualiter . . . sic; IV 548: —, sic . . ., sic; IX 901: —, utque . . ., sic; II 598: —, ut . . ., sic. Res comparanda, quam poeta repetivit, particula comparativa caret: II 296: —, ceu . . ., —; V 335: —, veluti . . . . — IX 283 inveniuntur tres particulae et in eo, quod comparatur et in comparatione et in sententia ea, quae rem comparatam repetit: haud aliter — quam — sic.

Ab Homeri usu (cfr. Velsen de comparationibus Homeri, Berolini 1849. p. 26) Lucanus Vergilium secutus recedit ita, ut semper id enuntiatum, quo rem comparatam in memoriam revocat, proferat aliis verbis, ac rem comparandam antea describit velut IX 901: „Letifica dubios explorant aspide partus,“ quam rem illustrat poeta comparatione et v. 906 sententiam, quae inest in versu 901, repetit hoc modo: „Sic pignora gentis Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues.“

Comparatio ab eo, quod comparatur, includitur III 469. V 707.

VII 144 poeta praeter adverbium (non aliter comparationem quae sequitur, indicat hoc enuntiato:

„Si liceat superis hominum conferre labores.“ cfr. Vergilii georg. IV 176. ecl. I 23.

Nulla omnino particula Lucanus utitur in comparationibus VI 406 et IX 826, quibus locis vis comparandi tantum e

sententiarum interpretatione patefit. Nonnunquam poeta comparationem rei comparandae figura inductionis usus opponit velut I 514:

„Cum pressus ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris
Effugit exiguo nocturna pericula vallo:
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Praebet securos intra tentoria somnos:
Tu tantum audito bellorum murmure, Roma,
Desereris;“

et IV 821, VII 134. VIII 269. 800. X 70, quibuscum cfr. Vergil. ecl. II 63. III 81. VII 61.

Complures comparationes vario modo Lucanus inter se coniunxit, etsi saepius hoc facere omisit, velut III 65 sqq. V 98 sqq. 435 sqq. IX 826. X 458 nulla omnino exstat coniunctio. Coniunctionibus usus est Lucanus et copulativis velut I 229. II 541 sqq. V 504 sqq. III 285 sq. VI 92. VIII 800. IX 782. et disiunctivis velut II 667. VI 66. VII 569; saepius his coniunctionibus adicit poeta particulas comparativas velut I 575 sq. III 364. IV 134 sqq. VII 779. IX 461. 799.

Lucanum autem plures comparationes ad unam rem illustrandam coacervatas non certo consilio ordinasse demonstratur eo, quod III 362 sqq. priorem comparationem graviorem profert IX 460. sqq. autem posteriorem, et quod I 574 sqq. extremam, primam II 541 sqq. pluribus verbis ornat; ceteris locis ordo certus non perspicitur. Apud Vergilium semper comparatio gravior sequitur alias breviores.

His sub uno conspectu positis formis, quae inserviunt comparationibus annectendis et coniungendis, elucet Lucanum in universum Vergilii morem sequi. Pauca adiciamus. Adverbium comparativum „ceu,“ quod saepissime Vergilus adhibet, Lucanus bis usurpat. Recte iam Bussenius (l. a. p. 19) observavit Vergilii usum, qui „quam“ particulam cum adverbio aliquo vel adiectivo coniungat, neque Lucanum neque Valerium Flaccum recepisse; sed in turpem errorem incidit, cum putat inesse in versibus IV 130 sqq. comparationem „prima navigationis initia“ describentem, perductus studio adverbium com-

parativum „ut“ cum copula „que“ coniunctum investigandi; Lucanus enim hoc loco certum tempus („sobald als“) significat. Quater „utque,“ quam formam Vergilius bis usurpat (Aen. X 454. XI 751), invenitur apud Lucanum (I 327. III 364. IX 808. 902), nunquam apud Valerium Flaccum. Deinde locis a Bussenio allattis, quibus Lucanus adverbia a pronominibus derivata exhibet, adiciamus VI 220. Sed pronominis relativi „qualis“ formas iam apud Lucanum in enuntiati constructionem innecti, quem usum Bussenius Valerio Flacco soli vindicare studet, probatur his locis I 136. 498. 543. 574. 576. 674. III 470.

Iam videamus quid sit de temporibus modisque statuendum. Sine dubio exspectandum est poetam naturae et argumento comparationum tempora et modos accommodare. Quare breviter attingamus hanc Lucani rationem, quam eandem invenies apud Valerium Flaccum et Vergilium. Maximam igitur in partem a poeta praesentis indicativum exhiberi nemini mirum est, quod plerumque comparandi causa ea afferuntur, quae semper fiunt vel fieri solent. Tempus perfectum imprimis rebus mythologicis vel historicis narrandis inservire consentaneum est. Deinde si res quemadmodum ab initio gesta sit exponitur, his in imaginibus tempora perfecta cum praesentibus mixta exstare elucet velut IX 902. Ut iam supra commemoravimus Lucanus morem omnium poetarum usitatissimum secutus saepius in comparationibus utitur perfecto, cuius loco sermoni vernaculo placet tempus praesens cfr. Kühner gram. Lat. II p. 100, 9.: Während unsere Sprache solche Sätze als allgemeine durch das Praesens ausdrückt, fafst der Römer in objektiver Sinnlichkeit den einzelnen konkreten Fall auf, in dem sich jene allgemeinen Gedanken und Erscheinungen bethätigen und versinnlicht auf diese Weise den Begriff des Allgemeinen; velut Pharsaliae I 151. 205. 327. Sine ulla offensione IX 477 sqq. perfectum, praesens, plusquamperfectum (quod tempus Vergilius omnino non adhibet, apud Valerium in enuntiatione comparationis primaria exstat I 406) inveniuntur, neque minus tempora futura velut I 72 sqq. et 31 sq.:

„Non tu Pyrrhe ferox nec tantis cladibus auctor

Poenus erit,“ scl. si poeta Romanorum clades carmine per-

secutus comparaverit cum illis. Similiter IX 782 „cera sequetur,“ scl. cum soli admoveris et „nix resoluta cadet,“ scl. cum auster flaverit: Exstat apud Vergilium tempus futurum Aen. XII 206. 451. ecl. VIII 27. X 54; non legitur apud Valerium Flaccum.

Rarius Lucanus coniunctivo utitur; sed quod hic poeta comparationes ab eis rebus, quae esse vel fieri tantum cogitantur, petit saepius quam Vergilius et Valerius Flaccus, quid mirum, quod saepius quam illi hunc modum usurpat? Coniunctivus praesentis potentialis qui vocatur invenitur VII 134. X 70., perfecti IV 298; coniunctivus imperfecti irrealis X 447, qui modus saepius locum tenet in eis sententiis, quae vel pronomine relativo vel coniunctione „si“ insertae comparationem continent velut I 639. II 416. III 539. IX 215.

Sententias secundarias, quae in comparationibus fusius explicatis saepissime subiunguntur sententiis primariis, Lucanus usitatam rationem secutus ita formavit, ut his locis nihil Lucano proprium vel singulare inveniatur. Tantum constructio sententiarum condicionibus restrictarum quam accuratius inspiciamus digna videtur. Invenitur enim indicativus in sententiis et primaria et secundaria, coniunctione si subiuncta: IV 288. VI 275; in utraque igitur sententia res certa a poeta explicatur certo modo. Deinde invenitur coniunctivus in sententiis et primaria et coniunctione si subiuncta velut II 665, V 336: in utraque igitur sententia aliqua res a poeta esse tantum cogitatur. Saepius autem mutantur modi ita, ut, quamquam a poeta ea sententia, quae condicionem alicui rei adicit, modo cogitatur, tamen sententia primaria proferatur certa velut I 102 (frangetur si recedat), 210. II 496. III 362. Certa lex his locis constituitur nulla, sed poeta arbitrium secutus libere variat has constructiones. Ubicunque igitur codicum lectiones fluctuant, caveamus, ne acumen in quaestionibus spinosis exerceamus vanum. Immo ei lectioni, quam optimi exhibent codices, fides habenda est. Quare non est, cur VI 77 „descendat,“ quod in codicibus Vossianis primo et secundo et in Montepessulano secundum Steinhartum (Symb. phil. Bonn. p. 299) scriptum est, mutemus in modum indicativum „descendit“ quod falso legitur in nonnullis editionibus. Item II 457 lectionem codicis Vossiani B „immittit“ servandam esse puto.

## Caput III.

Restat, ut accuratius perscrutemur, num Lucanus in adhibendis his carminis ornamentis certos prioris aetatis poetas secutus sit. Qua in quaestione caveamus ne in errorem a Baehrensio iure notatum incidamus. Dicit enim Baehrensius (in praefatione ed. Valerii Flacci p. V): „Sunt autem de nulla fere re quae ad antiquos pertinet scriptores tam variae tamque falsae plerumque opiniones latae quam de imitationis studio apud poetas Latinos obvio. Nam si hodie quidam apud duos diversi temporis poetas versus ex aliqua parte similes inveniunt, ilico auctorem aetate posteriorem exscripsisse priorem clamant.' Discernit Baehrensius similitudines fortuitas, quarum causas invenit memoriam, consuetudinem, linguae Romanae penuriam, et eas „imitationes seu potius aemulationes, quas imitandi bene conscii admiserunt poetae." Subtili igitur opus est iudicio ac ratione hanc quaestionem instituentibus. Tantum autem abest, ut poetam si nonnullas comparationes aliunde eum mutuatum esse patet, vituperemus, ut assentiamur Macrobio sic disputanti (Saturn. VI. 1): „Etsi vereor ne, dum ostendere cupio quantum Vergilius noster ex antiquorum lectione profecerit et quos ex omnibus flores vel quae in carminis sui decorem ex diversis ornamenta libaverit, occasionem reprehendendi vel imperitis vel malignis ministrem exprobrantibus tanto viro alieni usurpationem, nec considerantibus hunc esse fructum legendi aemulari ea, quae in aliis probes et quae maxime inter aliorum dicta mireris in aliquem usum tuum opportuna derivatione convertere, quod et nostri tam inter se quam a Graecis et Graecorum excellentes inter se saepe fecerunt. . . 5) quod si haec societas et rerum communio poetis scriptoribusque omnibus inter se exercenda concessa est, quis fraudi Vergilio vortat, si ad excolendum se quaedam ab antiquioribus mutuatus sit?" Quin scriptores diligentiori litterarum cognitioni studuerint acriter, dubium non est. Sed quo quisque magis mira ingenii ubertate floruit, eo longius ab exemplo ad imitandum proposito recedens suam viam ingreditur praecipue in his rebus, quae carmini ornando inserviunt. Huc accedit, quod poetae simodo priores certo

quodam modo imitantur, tamen has figuras, quas ab aliis mutuantur, rationi suorum temporum adaptant omnique in genere dicendi suae aetatis morem sequuntur. Quam igitur difficile sit diiudicare quibus locis posteriores industria et consilio priores imitentur, apparet. Sed Lucanum saepius ex Homeri Vergiliique carminibus similitudinum argumenta deprompsisse, quin etiam in singulis rebus explicandis horum poetarum auctoritati paruisse e locis sequentibus colligitur. Nonnulla W. Ribbeckium, qui huic quaestioni operam dedit, effugerunt.

Ac primum afferamus comparationen, quae et idem argumentum et idem comparationis tertium ac Vergilii locus praebet; quin etiam ex singulis versibus elucet Lucano Vergilii imaginem ante oculos fuisse ut taceam singula verba occurrere apud utrumque. II 601 sqq.

„Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit vacuosque per agros
Exsul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus nisi cum cervice recepta
Excussi placuere tori; mox reddita victor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit“

quibuscum cfr. Apolonii Rhodii B 88:

„ἠύτε ταύρω
φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον.“

Lucanus non multum abest a Vergilii Aen. XII 103 sqq.:

„Mugitus veluti cum prima in proelia taurus
Terrificos ciet atque irasci in cornua temptat,
Arboris obnixus trunco ventosque lacessit
Ictibus aut sparsa ad pugnam proludit arena,“

vel paulo infra v. 715 sqq.:

„Ac velut ingenti Sila summove Taburno
Cum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt (pavidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae,
Quis memori imperitet, quem tota armenta sequantur,
Illi inter sese multa vi vulnera miscent

Cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.“

Lineamenta autem huius imaginis Lucanus duxisse e descriptione taurornm pugnantium videtur (georg. III 220 sqq.):

„Illi alternantes multa vi proelia miscent
Vulneribus crebris, lavit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu reboant silvaeque et longus Olympus.
Nec mos bellantis una stabulare, sed alter
Victus abit longeque ignotis exsulat oris.
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores,
Et stabula adspectans regnis excessit avitis:
Ergo omni cura viris exercet et inter
Dura iacet pernox instrato saxa cubili
Frondibus hirsutis et carice pastus acuta,
Et temptat sese atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco ventosque lacessit
Ictibus et sparsa ad pugnam proludit arena.
Post ubi collectum robur viresque refectae,
Signa movet praecepsque oblitum fertur in hostem.“

Cum Lucani III 470 sqq.:

„Qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas,
Frangit cuncta ruens“

conferas Homeri N 137 sqq:

„ὀλοοίτροχος ὣς ἀπὸ πέτρης,
ὅντε κατὰ οτεφάνης πυταμὸς χειμάροος ὤσῃ,
ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης.
ὕψι δ᾽ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δὲ θ᾽ὑπ᾽αὐτοῦ
ὕλη. ὁ δ᾽ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, εἷος ἵκηται
ἰσόπεδον, τότε δ᾽οὔτι κυλίνδεται ἐσσύμενός περ;“

quibus respondet Vergilius (Aen. XII 684 sqq.):

„Ac veluti montis saxum de vertice praeceps
Cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit aut annis solvit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu

Exsultatque solo, silvas armenta virosque.
Involvens secum."

Comparationis igitur materiam apud Homerum, Vergilium Lucanum eandem vides et idem tertium comparationis. Quaerentibus nobis utrum Lucanus secutus sit, in hac imagine Vergilium imitatus videtur esse. Nam Homerus torrentem et imbrem saxum praecipitantes inducit; Vergilius adiecit imbri ventum et vetustatem, quae sola Lucanus recepit. Neque vero omnibus locis, quibus eadem comparationum argumenta inveniuntur et apud Homerum et apud Vergilium et apud Lucanum, hunc Vergilii imaginem sibi ad imitandam proposuisse elucet e Lucani versibus I 205 sqq.:

„Sic cum squalentibus arvis
Aestiferae Libyes viso leo comminus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae
Erexitque iubas et vasto murmur hiatu
Infremuit; tum torta levis si lancea Mauri
Haereat aut latum subeant venabula pectus
Per ferrum tanti securus vulneris exit"

et versibus Homeri *Y* 164 sqq.:

*„λέων ὣς*
*σίντης, ὅντε καὶ ἄνδρες ἀποκτάμεναι μεμάασιν*
*ἀγρόμενοι, πᾶς δῆμος. ὁ δὲ πρῶτον μὲν ἀτίζων*
*ἔρχεται, ἀλλ' ὅτε κέν τις ἀρηϊθόων αἰζηῶν*
*δουρὶ βάλῃ, ἐάλη τε χανὼν περί τ' ἀφρὸς ὀδόντας*
*γίγνεται, ἐν δέ τέ οἱ κραδίῃ στένει ἄλκιμον ἦτορ,*
*οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν*
*μαστίεται, ἑὲ δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι,*
*γλαυκιόων δ' ἰθὺς φέρεται μένει, ἤν τινα πέφνῃ*
*ἀνδρῶν, ἢ αὐτὸς φθίεται πρώτῳ ἐν ὁμίλῳ."*

Ex magna copia comparationum, quas Vergilius a leonibus sumpsit, eundem comparandi cardinem, quem Lucanus praebet nulla. Proxime accedit Lucanus ad Vergilii exemplum Aen. XII 4 sqq.:

„Poenorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum volnere pectus
Tum demum movet arma leo gaudetque comantis

Excutiens cervice toros fixumque latronis
Impavidus frangit telum et fremit ore cruento."

Omnes tres poetae leonem hostes adgredientem fingunt. Lineas autem huius imaginis Lucano, qui Vergilii nullam habet rationem, dedit Homerus, a quo differt Lucanus eo, quod certa loca certosque hostes inducit et quod Homeri duos extremos versus pluribus verbis explicat. Accurate autem respondent praeter singulas comparationum partes verba „ἔαλη" et „subsedit," „οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν μαστίεται" et „se saevae stimulavit verbere caudae."

Quamquam Vergilius Aen. X 707 sqq.:

„Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit multosve palus Laurentia silva
Pastus harundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit infremuitque ferox et inhorruit armos,
Nec cuiquam irasci propiusque accedere virtus,
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem impavidus partis cunctatur in omnis,
Dentibus infrendens et tergo decutit hastas:"

aprum inducit, tamen Lucanus hanc Vergilii imaginem respexisse videtur VI 208 sqq.:

„Sic Lybicus densis elephás oppressus ab armis
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit et haerentes mota cute discutit hastas.
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixae stant tela ferae: tot facta sagittis
Tot iaculis unam non explent vulnera mortem."

Tertium igitur comparationis idem est in utroque loco, etsi Vergilius magis quam Lucanus exornavit imaginis cardinem. Idem fere exitus versuum Vergilii 715 ac Lucani 210 neminem fugit.

Praeterea Lucanus profert complures similitudines eandem materiam exhibentes, qua vel Homerus vel Vergilius usi sunt. Minime autem cognoscitur Lucanum in his comparationibus condendis illos imitatum esse; velut Lucani VII 777 sqq.:

„Haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Orestes;
Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
Cum fureret Pentheus aut cum desisset Agaue“

spectare videntur ad Vergilii Aen. IV 469 sqq.:

„Eumenidum veluti demens vidit agmina Pentheus
Et solem geminum et duplicis se ostendere Thebas
Aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Cum fugit ultricesque sedent in limine Dirae.“

Habes igitur in utriusque versibus Orestem et Pentheum furentes, quibus Lucanus Agauen adicit; sed has fabulas notissimas alius aliter descripsit.

Item num Lucanus VI 181 sqq.:

„Non segnior extulit illum
Saltus et in medias iecit super arma catervas
Quam per summa rapit celerem venabula pardum“

sequatur Vergilium (Aen. IX 551 sqq.):

„Ut fera, quae densa venantum saepta corona
Contra tela furit seseque haud nescia morti
Inicit et saltu supra venabula fertur“ haud liquet.

Nihil Lucano I 674:

„Nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo“

e Vergilii versibus Aen. IV 301 sqq.:

„Qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron“

nisi notionem Bacchae praesto fuisse putem simodo similitudo quaedam inter hos versus intercedere statuenda est.

Paulo propius accedunt Lucani IX 798 sqq. versus:

„Spumeus accenso non sic exundat aëno
Undarum cumulus“

illis Vergilii (Aen. VII 462 sqq.):

„Magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aëni

Exsultantque aestu latices, furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis,
Nec iam se capit unda, volat vapor ater ad auras."

qui ipse Homerum *Φ* 362 sequitur:

*„ώς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ*
*κνίσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο,*
*πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγκανα κεῖται."*

Maiorem similitudinem invenies neque inter versus Vergilii Aen. V 458:

„Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant"

et Lucani III 482;

„Ut grandine tecta
Innocua percussa sonant;"

neque inter versus Lucani IX 781 sq.:

„Calido non ocius austro Nix resoluta cadet"

et Homeri *τ* 205 sq.:

*„ώς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,*
*ἥντ' Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ."*

Comparationes et Vergilii georg. IV 362:

„Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis"

apes susurrantes illustrans et Lucani V 217:

„Ut tumidus Boreae post flamina pontus
Rauca gemit, sic multa levant suspiria vatem"

petitae sunt a mari, sed ne hic quidem alter poeta alterum secutus videtur esse.

Saepius etsi idem comparationum argumentum apud Lucanum invenitur atque apud Homerum vel Vergilium, tamen Lucanus ipsius invientione usus illum comparationis cardinem, quem a prioribus mutuatur, fusius explicat ita, ut novam imaginem fingat, velut Vergilius Aen. X 264 sqq.:

„Quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant
Cum sonitu fugiuntque notos clamore secundo"

a gruibus imaginem sumpsit, quae grues Lucano quoque obversantur l. V 711 sqq.:

„Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt
Poturae te, Nile, grues primoque volatu
Effingunt varias casu monstrante figuras.
Mox ubi percussit densas notus altior alas,
Confusos temere immistae glomerantur in orbes
Et turbata perit dispersis littera pennis,“

sed aliam imaginem Lucanus legentibus praebet; certe singulae imaginis partes Lucani ingenio vindicandae sunt.

Idem iudicium facies, cum Lucani similitudinem II 297 sqq.:

„Ceu morte parentem
Natorum orbatum longum producere funus
Ad tumulum iubet ipse dolor; iuvat ignibus atris
Inseruisse manus constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces“

confers cum Homeri Ψ 222 sqq.:

„ὡς δὲ πατὴρ οὗ παιδὸς ὀδύρεται ὀστέα καίων,
νυμφίου, ὅστε θανὼν δειλοὺς ἀκάχησε τοκῆας.“

Fortasse Homerum Lucanus respexit; sed hanc imaginem ita exornavit, ut eam Lucani ingenio propriam attribuamus, etsi, ut illam conderet Homeri verbis commotum esse concedimus. Neque maiorem similitudinem prae se ferunt comparationes Lucani IX 285 sqq.: (haud aliter)

„Quam simul effetas linquunt examine ceras
Atque oblita favi non miscent nexibus alas
Sed sibi quaeque volat nec iam degustat amarum
Desidiosa thymum: Phrygii sonus increpat aeris.
Attonitae posuere fugam studiumque laboris
Floriferi repetunt et sparsi mellis amorem:
Gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
Divitias servasse casae“

et Vergilii Aen. XII 587 sqq.:

„Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes fumoque implevit amaro:
Illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis, tum murmure caeco
Intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.“

Suam ipsius viam iniit uterque, ut eandem rem describeret. Lucanus fusius hanc imaginem depingit quam Vergilius.

Quin etiam complures similitudines a Lucano fictae antea non inveniuntur. Bussenius nimis neglegenter quattuor similitudines Lucano soli adscribit (cfr. p. 13 et quae nos de IV 130 diximus p. 37). Ut omittam illas comparationes a certo facto vel fabuloso vel historico petitas velut I 115. 303, tantum meras similitudines, quae Lucano propriae tribuuntur, enumero: III 118 sq., IV 297 sq. et 437—444 et 724—729, IX 182—185 et 808 sq. et 902—906.

# Vita.

Natus sum Gustavus Hundt a. d. VI. Cal. Sept. a. h. s. LXIII Cothenis Anhaltinorum patre Gustavo et matre Augusta e gente Pusch, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus a. h. s. LXXIII in gymnasium Cotheniense receptus sum. Maturitatis testimonio instructus vere a. h. s. LXXXII Heidelbergam me contuli studiis philologicis operam daturus, ubi audivi viros doctissimos a Duhn, Fischer, Schöll, Wachsmuth. Autumno eiusdem anni Berolinum transmigravi, ubi per duo semestria scholis interfui clarissimorum virorum Curtius, Diels, Droysen, Hübner, Kirchhoff, Paulsen, a Treitschke, Vahlen, Zeller. Inde ab autumno a. h. s. LXXXIII Halis docuerunt me viri clarissimi doctissimi Dittenberger, Droysen, Dümmler, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kirchhoff, Pott, Schum, Vaihinger. Quibus viris illustrissimis omnibus gratias ago quam maximas semperque habebo.